

41.

Viro amplissimo DD. Jacquin s. Car. v. Linné.

Tandem conveni cum D. Tidström, qui nuper redux Holmia apud me erat, cum eo egi de commercio Lapidum; ille quidem ambabus oblationes a Te propositas assumeret, est tamen quod obicem objicit; ille enim optimus vir, tantum fruitur salario adjuncti quod valde parcum est, nec sustinet solvere porto Vienna Holmiam. Dicit se velle mittere Lapidés Hamburgum ad quemcumque juberés, et inde recipere, ac hanc viam solvere, ejus autem crumenam non sustinere amplius; dicit se velle mittere duplo plures quam Tu, sed non posse solvere Viennam usque transportanda. Dixi ipsi quod haec notet in schedula, quam inclusam mitto.

Certum est quod in tota Suecia nullus est cum Tidströmio comparandus in hac re, nullus plures perreptavit fodinas Sueciae, nullus in dignotione Lapidum praestantior, nullus possidet tot Lapidés in duplo.

Nostra patria dives est ferro, quod a magnete trahitur, multiplici, sed pauperrima iis quae a magnete non trahuntur. Dives etiam est Pyritis cupriferis. Cum apud nos Sulphur pyriticosum ubique adest, apud vos forte Arsenicae; nostrae minerae ab acido salis vitriolici, vestrae forte ab acido salis muriatici. Stannum ignoramus intra Sueciae fines. Divites Argenti minerae rarissimae sunt apud nos Aves, uti Rotgylden, Weissgylden etc.

Talcum sterile nigrum et mica regnant in fodinis nostris.

Enata est Cleome Tua gigantea ex seminibus quae benevole misisti, sed proh dolor adeo sero, ut vix spes sit videre flores, quos expectarem vehementissime, cum sint adeo singulares.

Loasae ne unicum semen germinabat; si vixero in tempus vernale oro ardentissime me bees seminibus istius rarissimae plantae, vel si non habeas modo mihi dicas ubi et undenam possint obtineri; vellem videre hanc plantam ante